



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 1. Quo sensu Dominus Deus stet ad ostium cordis pulsans?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**



## §. I.

*Quo sensu Dominus Deus stet ad ostium cordis pulsans ?*

**I**Taque alio sensu intelligendus est Dominus stare ad ostium cordis, nempè quia paratus est, ut alibi ait: *Si quis eum diligit, ejusque mandata custodit, ad eum venire, & mansionem apud eum facere.* Pulsat autem cum sive per elementorum contemplationem, sive per Scripturarum cognitionem, sive per Ministrorum suorum cohortationem, aliosve innumeros modos, ad sui dilectionem mandatorumque observantiam nos invitat. Ad hanc pulsationem etiam pertinet illa vocatio, quâ nos Deus, ut ait D. Augustinus, *vocat undique ad correctionem, vocat undique ad penitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis.* Verùm incassa est hæc omnis pulsatio, nisi prævenientis gratiæ auxilio, affectum aperiendi, hoc est, diligendi in nobis ipse generarit.

*Ioan. 14.  
vers. 23.*

*In Ps. 102.*

## §. II.